



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Essentiam Dei, non rem obiectam diuini intellectui esse ideam, verior
sententia est. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

tem ipsam, quia, ut apprehensa, est idea: & artem edificandi dicit speciem domus, ob eandem rationem. Imo vero hoc argumento probatur posterior pars opinionis: quoniam si idea in mente artificis creati non est ipsum verbum interius, seu cognitio, vel conceptus formalis, sed obiectiuus, quia artifex non facit instar conceptus formalis opus exterius; eadē proportionē sequitur in mente Dei eius essentiam, quatenus est rerum faciendarum cognitio, & representatio, eorum ideam non esse. Sed ex eadem ideæ definitione, alia ratione idem confirmatur, quoniam Deus non producit res extra instar essentia suæ, est enim creaturis omnino dissimilis: ergo ea non est idea creaturarum. Hæc vero ratio solum videtur probare essentiam Dei, ut dicebat Duran. non esse perfectam creaturarum ideam, non tamen non esse saltem imperfectam secundum aliquas perfectiones, sub ratione tamen generica, nam sub specifica efficaciter satis idem conuincit, ut proxime dicebamus. Postremo suadetur testimonio Augusti. lib. 83. q. 9. q. 46. ubi ait non eadem ratione conditum esse equum; & hominem, hoc est, non eadem idea. Si autem essentia diuina esset idea, eadem esset hominis, & equi, imo omnium rerum idea: quare eadem ratione conditi essent equus, & homo.

CAPVT II.

Essentiam Dei, non rem obiectam diuino intellectui esse ideam, verior sententia est.

Commune Scholasticorum sententiam multo probabiliorē existimo, quæ præcedenti omnino opposita est, & duo similiter assentit: vnum est, creaturas ipsas obiectiue præter res diuino intellectui non posse ideas proprie vocari. Alterum est, ipsammet essentiam Dei esse ideam, & artem omnium creaturarum. Scholastici vero, quos infra commemorabimus, exceptis recentioribus, qui hanc sequuntur opinionem, non tam diserte priorem partem affirmant; perspicue tamen docent, ideam creaturarum esse ipsammet essentiam Dei: ex quo manifeste colligitur, eos sensisse creaturas existentes obiectiue in diuino intellectu ideas non esse. Recentiores tamen Thomistæ non solum dicunt ideam esse ipsam diuinam essentiam, verum etiam expresse affirmant esse non posse creaturas ipsas obiectiue existentes in mente diuina, ut Scotus asseruit: prædictamque Scoti opinionem temeritatis insimulant, quod communi consensui Sanctorum Patrum, & Doctorum sine ratione aduersetur. Immerito tamen tam seuerè de ipsa iudicant, tum, quod non pauci Scholastici, quos præcedenti capite recensimus, eam fuerint secuti, nec multa Sanctorum testimonia contra ipsam possint allegari, ut in hoc cap. videbimus: tum etiam, quod non sine fundamento probabiliter hanc sententiam prædicti auctores tradiderint: neque enim tres illæ rationes adductæ probabilitate sua, & robore carent, ut seq. disput. parebit: Neque vero, ut recentiores etiam nonnulli arbitrantur. Scoti sententia cum errore Wicleffi commune quidpiam habet, ut ex dictis perspicuum est: quare in merito etiam cum illius errore eam confundant.

Nihilominus tamen hæc Scoti, & aliorum opinio minus probabilis mihi semper visa est: multis vero rationibus leuioris quidem momenti præ-

termisiss, quas Theologi nostri congerunt, vnica solum non tantum falsitatis eam redarguere, simulque nostram confirmare, verum etiam fundamenta illius pariter euertere contendam. Ratio vero tamen directe priorem partem opinionis Scoti refellat, & priorem quoque nostræ sententia confirmet; efficaciter tamen posteriorem partem suadet. Si enim demonstratum semel fuerit creaturas obiectiue existentes in mente Dei non esse rerum ideas, consequitur ideam esse ipsam diuinam essentiam, nihil enim aliud superesse videtur ratio vero talis est.

Idea est forma illa exemplaris, quam artifex aspiciens instar illius aliquid aliud operatur, cum dico aliquid aliud, denoto rem ipsam productam ab ea debere distingui: idem enim omnino sui ipsius idea esse non potest, neque principium, etiam per intellectum: neque enim fieri dicitur aliquid instar sui, vel ad similitudinem sui, sed instar alterius, & ad similitudinem illius. Atque ita videmus ideam, primo dictam fuisse rem aliquam ob oculos exterius propositam, quam aliquis opere suo imitaretur. Quocirca nisi creatus artifex exterius, vel in mente haberet rem aliam distinctam, similem tamen operi, quod esset facturum, non diceretur idem, aut exemplar habere. Veluti si artifex aliquis tam esset perspicaci intellectu, ut videret rem ipsam quam facturum esset: eodem profus modo, quo esset futura, & ut ipsam postea factam proprio conceptu intueretur, & hac cognitione, & conceptu ipsam fieret; non diceretur illam habuisse tanquam ideam ipsius, nec instar illius eam effecisse: sed opere expressisse idem omnino, quod mente habebat. Nuncautem quilibet artifex creatus ita concipit mente, quod opere exequi contendit, ut idem non sit, sed diuersum, simile tamen proportionē, figura, & alijs huiusmodi. Quomodo dum artifex ædificat domum magnam, aut exterius, aut saltem cognitione habet paruum quoddam exemplar illius, vel si etiam magnam domum interius apprehendat, ad cuius similitudinem aliam ædificet, nunquam eam concipit eo modo, quo postea videt productam: ex quo manifeste colligitur, rem apprehensam in mente artificis creati esse diuersam à re ipsa facta, aut producta: ideoque optime dici instar illius, quam apprehendit, aliam fecisse, quod ne utique dici posset, si idem omnino artifex in mente haberet, quod re ipsa facturum esset: atqui Deus eodem profus modo in mente habet res omnes, quas aliquando facturum est, aut producere potest: ergo illæ, quatenus obiectiue sunt in intellectu diuino, non sunt ideæ rerum, quæ producendæ sunt, nec ad imitationem illarum dicitur Deus aliquid exterius facere, sed potius idem profus, quod habebat in mente, re ipsa producere. Deum vero eodem profus modo res intellectu concipere, quo producturus est, manifeste patet: nam cum Deus non intelligat res alieno conceptu, sed proprio, & quidditativo, & quamlibet sigillatim, sicut possibilis est cum omnibus circumstantijs peculiaribus, sit, ut cum eam producit, nihil noui accedat scientiæ ipsius, nec nouum de illa conceptum habeat, sed scientia eius, & conceptus obiectiuus illius omnino immutatus permaneat aliter, quam scientia artificis creati: hic enim nondum distincte concipit rem, quam facturum est, quousque illam factam intuetur: antea vero

formas

7
Prima conclusio sum-
dam, quoniam
si hic est
idea sui
ipsius.

Prima con-
clusio.

Secunda
conclusio.

Scoti senten-
tia immu-
to naturalis
temeritatis.

format sibi idolum quoddam confusum illius, vel exterius ob oculos positum habet omnino diuersum ab eo, quod postea factum inuenitur: ideoque ex ipsomet opere facto, nouum & distinctum sibi format idolum. Quare non mirum si res illa con-

Res obiectiue
existens in
mente artifi-
cis, est idea,
in mente
Dei, & item
Obiectiue.

fuse concepta in mente artificis, cuius instar opus est faciendum, dicatur idea rei faciendæ, quia diuersa est: res autem obiectiue existens in mente summi artificis Dei, sui ipsarum non sunt ideæ.

Sed obijciat aliquis in hunc modum: aliqua ratione distinguitur res facta, & extra existens à se ipsa obiecta intellectui diuino: nam extra habet veram existentiam realem, in intellectu vero non habet, sed solum est apprehensa: ergo hæc differentia satis erit, ut res obiectiue existens in intellectu dicatur idea sui ipsius, ut exterius existit. Respondet differentiam hanc nullam esse, ut res obiecta intellectui idea dicatur: quoniam cum est obiectiue in intellectu diuino, non est sine sua existentia, & alijs circumstantijs, cum quibus postea erit extra causas: sed cum illis omnino apprehenditur à Deo, ut possibilis tamen, cum quibus iudicatur bonum esse, illam producere, & facere extra: quamuis igitur postea producta habitura sit existentiam realem, quam tunc solum habuit in apprehensione Dei, quia tamen cum eadem existentia possibilis fuit apprehensa, dici non potest instar sui ut intellectus, opere ipso fuisse productam: neque enim alia est, quam illa quæ fuit à Deo apprehensa: cumque Deus opere exprimat idem omnino, quod possibile cogitauit, nec de re ipsa producta nouum habeat conceptum proprium, & quidditatum; nulla ratione id, quod antea concepit, idea operis poterit appellari. Idem dicendum esset, si artifex sibi fingeret domum aliquam possibilem eodem prorsus conceptu, ac si ipsam oculis factam inuenerit, & illam opere exprimeret: nam quamuis illa in mente diuerso modo sit, quam extra, quia in mente non existit reali existentia, exterius autem existit, nihilominus illa, ut apprehensa, ideo non esset ob rationem iam dictam: & hæc dixisse sufficiat, quibus priorem nostræ opinionis partem confirmantes, priorem quoque partem sententiæ oppositæ simul confutauimus.

Secunda conclusio
est in
com-
mune est
Scholasticorum
placitum.
S. Thomas.
Crisostomus.
Alexand.
Albertus.
Bonauent.
Aegidius.
Capreolus.
Argent.
Ferrarius.
Henricus.

Ricardus.

Maiores.

Probat
primo ex
Augustino.

Superest iam, ut circa posteriorem partem idem faciamus, probantes contra Scotum essentiam diuinam esse omnium creaturarum ideam, id quod diximus esse commune placitum Theologorum. Est autem in primis opinio hæc S. Thom. Caiet. & Thomistarum in hoc art. quam sequuntur etiam Alex. 1. p. q. 23. memb. 4. ar. 1. per totum, Albertus in 1. d. 35. ar. 9. Bonauent. ar. 1. q. 1. Aegidius d. 36. ar. 2. q. 2. in solutionibus, praeterim argumentorum, Dion. q. 1. post sententiam Dur. Capreol. q. 1. art. 1. conclus. 1. Th. de Argent. q. 1. art. 1. Ferrarius 1. contra gentes, cap. 54. Henricus quodlibet. q. 1. qui omnes in hoc vnum conspirant, ut doceant, aut manifeste supponant, essentiam diuinam esse ipsam ideam creaturarum, tametsi in modo explicandi hanc opinionem non satis conueniant, ut sequenti disputatione referemus. Fauet etiam ex parte Ricardus in 1. d. 36. art. 3. quæst. 2. in eo, quod asserit rationem ideæ in essentiam diuinam posse conuenire: sed quia etiam docet competere creaturis obiectiue existentibus in mente Dei, non est pro hac nostra sententia allegandus. Maior vero loco superius citato vtramque sententiam putat esse probabilem.

Ea vero probatur primo, auctoritate Aug. locis

citatis in 1. cap. huius disp. ubi cum dicat creaturas in Deo viuere, incorruptibiles esse, & multo meliori modo, quam in seipsis existere, sine dubio ipsam essentiam Dei intelligit, quatenus ipsas representatione dicitur continere: ut ex verbis ipsis supra disp. 51. cap. 3. aperte deduximus: praeterim vero ex lib. 65. q. 16. & tract. in Ioan. & lib. 1. de ciuitate. cap. 29. ubi docet artem, & ideam rerum creaturarum in Deo viuere vita ipsius Dei, quod non nisi de ipsa essentia diuina intelligi posse ibidem demonstrauimus: & tractatu illo 1. ex professo probat contra Manichæum lapidem non viuere, ut ipse falso deducebat ex verbis Ioann. sed ideam illius, quia est ipse Deus.

Secundo probatur ex Boethio 3. de consolatione met. 9. ubi ideam, quam Deus habet, appellat exemplum supremum, quamuis & hoc explicari quoddammodo posset de ipsa re, ut ab æterno in mente Dei representata continetur: sic enim videtur aliqua ratione supremum exemplum esse.

Tertio confirmatur ex Dionysio, qui cap. 5. de diuinis nominibus ait exemplaria rerum in Deo esse, quæ Scriptura appellat prædestinationes, & bonas voluntates, & quæ continentur, & faciunt omnia. Et addit hæc verba, Quædammodum Deus, qui essentia antecellit eas, quæ sunt, & antea statuit, & in lucem protulit: quæ omnia non nisi de ipsamet essentia diuina intelligi possunt: ipsa enim est bona voluntas, seu prædestinatio, quæ constituit & facit omnia. Desinit autem Dionysius idem per voluntatem, cum tamen ad intellectum formaliter pertineat, quia etiam voluntas dei directe per ideam ipsam, & intellectum operatur: sicut in moralibus electio quandoque intellectui, nonnunquam vero voluntati tribuitur: eo quod, etiam si ad voluntatem pertineat, supponit directionem intellectus.

Denique hæc posterior pars nostræ sententiæ vnicæ solum ratione probatur: si enim idea esse nequit creatura obiectiue præsens intellectui diuino, sequitur esse ipsamet essentiam dei: nihil enim aliud in Deo idea esse potest. Quæ vero ratione essentia sit idea, seq. disp. latius explicandum est. Ex quibus omnibus licet colligere falsum esse, quod Alliacensis secutus priorem sententiam adiecit: nimirum duabus personis Trinitatis procedentibus Filio, & Spiritui sancto conuenire rationem ideæ, non Patri, aut essentia diuine. Imo aut fore magis proprie his personis tribui rationem ideæ, quam creaturis obiectiue existentibus: putat enim de ratione ideæ esse posse produci: & quia nec essentia diuina, nec Pater producit, ideo soli Filio, & Spiritui sancto asserit eam rationem conuenire. Id vero ex eodem principio deducit: nam sicut dixit creaturas cognititas, ut producibiles sunt, esse ideæ eius, quod producendum est, sic etiam Filium, & Spiritum sanctum, prout in intellectu sub esse possibili cognoscuntur, dicuntur ideæ sui ipsorum, ut re ipsa sunt producendi. Ergo ex dictis colligitur hanc sententiam falsam esse, quia sicut creatura prius apprehensa non est idea sui ipsius, ut producenda, sicut hætenus probauimus; sic etiam nec Filius, & Spiritus sanctus sui ipsorum; eadem enim ratio vtrique est. Neque vero Alliacens putauit, ut recentiores ei falso imposuerunt, Filium, & Spiritum sanctum produci idea aliqua creaturarum, id enim nisi Arrianus aliquis non diceret, nec ipse Alliacensis somniauit.

Iam

Ad primam
& secundam
rationem
dicti, resp.

Iam vero fundamenta prioris sententiae facile corrumpunt. Ad primam enim, & secundam rationem Scoti respondeo, tamen in mente artificis creati res ipsa obiectiue praesens vere sit idea, quia est forma, cuius instar aliquid fit: in Deo tamen esse non potest. Ratio vero discriminis est manifesta, quam fuisse in hoc cap. prosecuti sumus. Cur vero in mente artificis creati Verbum, & species expressa non sit idea artis, sequenti etiam disputatione patebit.

Augustinus
explicatur.

Ad confirmationem vero dico, essentiam quidem diuinam secundum suum esse, dissimilem admodum esse rebus creatis: nihilominus, quia omnes repraesentat, quatenus creatura ad imitationem illius fieri dicitur, vt seq. disput. videbimus: atque haec repraesentatio sufficit, vt veram habeat rationem ideae. Denique testimonium Augustini solum probat ratione distingui essentiam diuinam, prout est hominis idea, a seipsa, quatenus est idea equi: vt ibidem etiam dicitur: & hoc satis est, vt dixerit Augustinus non eadem ratione conditum esse hominem, & equum.

DISPUTATIO LXXII. Qua ratione essentia Dei sit idea creaturarum.

Varia Scholasticorum sententia. cap. 1.

Essentiam Dei, prout est cognitio, & similitudo quasi expressa creaturarum, esse earum ideam probabilior opinio fert, cap. 2.

CAPVT I. Varia Scholasticorum sententia.

Prima sen-
tentia Ric-
cardi.

Secunda, S.
Thomas, &
alij
Caietani.
Tercia,
Ricardus,
Henricus,
Farrar.

Quarta,
Caietanus.

Alia senten-
tia Ricardus,
Henricus.

Cum Doctores omnes pro secunda opinione in praeced. disp. commemorati vno ore pronuncient ideam creaturarum in Deo non esse creaturas obiectiue illi praesentes, sed ipsammet diuinam essentiam, in hoc tamen pronunciatio explicando variant, nec omnes rationi consentanea docent. Placet igitur singulorum sensus paucis perstringere, vt verius, & facilius rem hanc explicare possimus.

Primo Ricardus in 1. d. 3. q. 2. art. 2. inter plures acceptiones ideae, quas ibi recenset, affirmat essentiam Dei eo esse ideam creaturarum, quod re ipsa ab eis imitabilis est, non quatenus intelligitur, vt imitabilis, itaque rationem ideae ita tribuit essentiae diuinae, vt absque villo ordine ad intellectum hoc ei concedat. Contra vero S. Thom. Caietan. & alij recentiores Thomistae artic. 2. huius quaestio. Aegidius in 1. disp. 3. q. 2. art. 2. q. 2. ad 2. Henricus quodlibet. 9. q. 2. & Ferrar. in 1. contra gent. c. 54. multo probabilior docent, quatenus essentia diuinae conuenire rationem ideae, quatenus eam Deus intelligit, vt imitabilem a creaturis: sic enim ipsi Deo comparatur, vt idea eorum, quae ad sui imitationem factus est: nam idea est forma exemplaris, cuius inspectione atque instar aliquid efficitur: & nisi forma sit principium operis per intellectum, etiam si ei aliud affimilatur, vt Filius Patri, eius tamen idea non est. Idea igitur quatenus idea, seu forma exemplaris, necessario ad intellectum refertur, qui per illam principium est operis alienius.

Et tandem Ricardus hanc opinionem probabilem putat. Sed Caietan. adeo veram esse dicit, vt affirmet accidentarium omnino esse essentiae diuinae intrinsece existere in ipso Deo, vt veram subiectiue rationem ideae: nam hoc impossibili concessio,

quod ea solum in intellectu dei obiectiue praesens esset, veram nihilominus haberet rationem ideae: sicut in artifice creato accidit: res enim obiecta, quam sibi artifex proponit, vt instar illius aliam faciat, vere est illi idea, & forma exemplaris. In Deo autem licet creatura possibilis sic apprehensa sui ipsius, vt existentis, idea esse non possit, (vt praeced. disp. demonstratum est; quia est idem omnino cum illa: idea autem ab opere ipso differre debet) essentia tamen diuina cognita, vt imitabilis, idea creaturarum esse potest, cum ab eis distinguatur, & ea sola ratione idea erit, qua obiectiue praesens est intellectui diuino: accidit igitur aliquid deam intrinsece in ipso Deo esse. **Fundamentum** huius sententiae vnicum est: asserunt enim praedicti Doctores essentiam diuinam, non quatenus est intellectio, & quasi verbum, aut species creaturarum eas repraesentans, sed prout est obiectum quoddam cognitum aliqua ratione imitabile a creaturis, esse ideam illarum.

Fundamentum

Ceterum hanc sententiam falsam esse ex ijs, quae dicemus, perspicuum erit: tum quia essentia diuina, vt est obiectum cognitum, & causa solum creaturarum, nullo modo imitabilis est, nisi quatenus est causa per cognitionem: tum etiam quia ea sola ratione idea creaturarum esse potest, qua cognitio est, & verbum earum; hoc autem modo non est essentiae accidentarium, Deo inesse.

Refellitur.

Iam vero cum habeamus essentiam Dei ea ratione ideam esse, qua ad intellectum refertur, vt imitabilis; difficile adhuc est explicare, quo pacto imitabilis sit a creaturis, quae ipsi omnino opposita videntur. De hac re nihil S. Tho. & Aegidius expresse tradunt. Henricus vero, Caietan. Ferrar. & alij recentiores Thomistae superius allegati dicunt omnes creaturas ad imitationem essentiae diuinae fieri, quod in ipsa omnis earum perfectio eminens: quidam ratione, licet non formaliter continetur: idque satis esse censent, vt sit omnium earum idea: quam aspiciens Deus, vt eminenter continens creaturarum perfectiones, instar illius quamlibet creaturam vere producere dicatur.

S. Thomas.

Aegidius.

Henricus.

Caietanus.

Farrar.

Qua ratione

creatura ad

imitationem

essentiae diuinae

producantur

secundum Thomistam.

Verum haec sententia, si iactis solum principiis innitatur, infirma videtur: nam cum asserit essentiam dei virtute, & eminenti ratione quamlibet creaturae perfectionem continere intelligit creaturarum perfectiones in Deo esse tanquam in causa aequiuoca, quia eas producere potest, non virtute formae eiusdem rationis, quam in se habeat, sed ratione altioris naturae, sicut Sol producere potest calorem, non calore, qui est forma eiusdem rationis, sed luce, quae altioris naturae est, quod est perfectionem creaturae eminenter, non formaliter in Deo esse. Hac autem ratione essentia Dei idea esse non potest, sicut neque lux Solis assumi potest, vt exemplaris forma, ad producendum calorem. Nam quemadmodum nullus intellectus quantumvis perspicax, aspiciens lucem, instar illius diceretur calorem producere, ac proinde eam pro idea caloris habere, sic etiam nullus intellectus aspiciens essentiam Dei, eo quod illa virtute eminenti perfectiones continet creaturarum, illam habere potest vt ideam, & formam exemplarem earum; aut enim intellectus aspiciat, quod est formaliter in essentia diuina, & hoc omnino dissimile est creatoris; ergo ad illius imitationem nulla creatura fieri potest: aut aspiciat id, quod in essentia Dei est eminenter, scilicet ipsam perfectionem creaturam:

Refellitur.

primo.

4